


Parliamenti Angliæ declaratio, in qua res nuperum gestæ ...



Tryck // / I25 B II c Br. 1649 Declaration

Tillkomstår 1648

Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

1649

Hist. Eng.
Polit.
(1649)

Declaration 2 x 4



DECLARATION

Die Sabbath 17 Martii. 1648.

Commissio populi Parliamentarii
nunc, hanc Declarationem
sic mandantem.

Hen. Scoble. Cleric.
Parliamenti.





Die Sabbathi 17 Martii. 1648.

Comitiis populi Parliamentariis decernitur, hanc Declarationem typis esse ilicò mandandam.

Hen. Scobell. Cleric.
Parliamenti.



PARLIAMENTI
Angliæ
DECLARATIO:

In quâ

RES NUPERUM GESTÆ,

ET

Decretum de Statu Angliæ Regio
in liberam Rempublicam vertendo,
asseruntur.

LONDINI,

Apud *Franciscum Tytonium*, Mensis

Martii 22°. Anno 1648.

*Hist
Parliam
Com
1649*

PARLIAMENTI

Angliae

DECLARATIO

Jo: 2^o

RES PUBLICAE

ET

Decretum de Statu Angliae Regiae

in libertatem Republicam vertendo

alterantur

LONDINI

Apud Franciscum Tavernerum, Mentis

MDCXXII. Anno 1622.



Parliamenti Angliæ Declaratio:

In quâ

*Res nuperùm gestæ, & decretum de
Statu Angliæ Regio in liberam Rem-
publicam vertendo, asseruntur.*

CUm Angliæ *Parliamentum*, liberis ubicunque *Populi* suffragiis electum, (quem pleno ipsis delegato jure referunt, quibusque in commune ejusdem *Populi* bonum & suprema juris figendi & refigendi potestas conceditur) jam per annos aliquot, & infinita discrimina contenderint *peffimam Tyrannidem*, *pejoribus artibus stabilitam*, excutere; eosque quibus bonâ fide hæcenus inservierint, in pristinum & cognatum *Libertatis Statum* (tamdiu conculcatum) restituere; Juraque *arbitraria & vexationes publicas* eliminare, usque dum Deo *Optimo visum* tandem fuisset *Pacem & Libertatem publicam* (in opprobrium contra nitentium) huic tam afflictæ Regio asserere; In tantâ beneficiorum testiumque coronâ (*nequid Divino numini minuatur*) nihil prius aut apertius habere se *Parliamentum* profiteretur, quàm publicis gratisque *Votis* sese eidem *Numini* effundere,

dere, quàm digitum ejus in imparibus ipsorum conatibus celebrare, opemque publicè & benè conspirantium fidelitèr agnoscere: Quibus omnibus, tam inhumani hostes, aperti unà & clancularii, eo usque attriti sunt, ut nihil hodiè moliantur, quo minùs his fundaminihus repurgatis, reliquum pacis & libertatis integrè astruatur.

Sed quia minimum hoc esset Tyrannidem Injustitiam bellumq; acerrimum, *quo reliqua illa ex se satis informia, horridiora reddebantur*, in præsens tantum restinxisse, nisi etiam prudenti operà cautum esset ne in posterum è suis cineribus sepulta reviviscerent; Ergò in extremo hoc incubuit Parlamento, ea jura sive regni, sive regnandi, mutare, quæ ante turbatum reipub. statum omnibus erant ex æquo desideratissima, & in eorum locum ea jam substituere, quæ & divini Numinis gloriæ, & communi reipub. gentisque compendio, poterint esse conjunctiora: In quæ duo, licèt per præruptas difficultates, tanquam in legitimum suum scopum Parliamentum hætenùs collimavit.

Sed ut hoc magis ad limpium ab omnibus quaquaversum, et ab iis potissimum quorum quovismodo interfuit, conspiceretur; Parliamentum hodiè æquum censuit rationes suas, non minùs quàm res antehac gestas, publicè et ubique intuentes exponere.

Quapropter, id quod sedatis affectibus, publicis argumentis, et absque prævio bello aliàs à tot tantisque pro vero obtinuit, id inter alia indubitatissimum causæ suæ Parliamentum substruit, Officium scilicet in Anglià Regium ex assensu pactoque populi primitus fuisse constitutum: qui ex omnibus unum, cæterorum bono invigilaturum, præfecère; quo commodius regerentur secundum ea scita et leges quas in commune consulenter. Sed *ut optimè consulta sæpè quid diversum sortiuntur*; ita nostros Annales evolventi constabit, paucissimos è Regibus nostris munera sua, prout ipsis erant signata, absolvisse; aut *illos in tam alto fastigio positos humilem populum, aut inopum curas despexisse.*

Palàm posteritati prostat, ipsos ut plurimum in id unum interdissè studia et lacertos, ut per publicas subditorum miserias ambitioni et authoritati privatæ litarent; undè factum est, quod toties ob minutias honorum, ob inflatos titulos, et inimicitias personales, tantum sanguinis Christiani (& *litibus illorum alieni*) mutuo hauriendum convocarent.

At in totâ ipſorum ſerie quantis intervallis Rex ſupremus Antecſſores ſuos exceſſit? eos nimirum miſerè diſperdendo, qui Officio ſanguineque ſuo erant fovendi: eos ſingulis et trium Regnorum angulis igne et enſe proſequendo, qui a Paterno ejus affectu erant tenerimè protegendi.

Licèt ipſe ex ſe ſanguis huic rei ſatis altè teſtimonium conclamet, tamen non ingratum erit breviter delibare quæ præſatus Rex & regni ſui geſti, & *miſeriarum noſtrarum Monumenta reliquerit*. In quibus ille reliquos Reges longè plus verſando imperium ſuperavit, quàm cujus ullum poſſit ſupplicii genus in exemplum deduci.

Incipiendam erit ab anno ejus ſecundo, in quo Parliamentum tam pravo conſilio ſolvebat; quibus auſpiciis, et regiminis et infortunii inſequentis certam regno dedit ſubarrationem. Parùm utcumque hoc fuiſſet, niſi etiam eodem tempore quo populi vulnera curare reſilierat, viam unâ occluſiſſet, quâ Parliamentum pro pietate ſuâ in violentam Patris ejus mortem inquireret. Laſam *Rupellam*, reſque inſeliciter geſtas in inſula *Reta* reformati *Galli* unâ nobiſcum adhuc altè ſuſpirant. Mutuationes imperatæ, incarcerationes extrajudiciales, aliaque ex legis poteſtatis quæ *Petitionem Equi* elicuerant, ilicò ab inſcriptâ iſta *Æqui* lege (cui etiam tam ſolenniter aſſenſerat,) deſultoriè repetebantur: Sinceriora membra Parliamenti carceribus demerſa, quod conſcientias ſuas placitis ejus arbitrariis mancipare reniterentur: E mercatoribus primarii non magis liberi, eo quod mercium *portoria veſtigalia* non auſi eſſent legitima contra religionem legis agnoſcere, ut nihil latius recenſeatur de plurimis aliis, qui quod non ſatis promptè abjicerent proborum civium animos, in ſatis prompta ſupplicia rapiabantur. Ut maximo tædio pati olim erat, ita non parvo adhuc eſt ejus Monopolia enumerare. Quis noſtrùm eſt, qui adhuc non exhorret illas inopinatas catenas, quas è *Germania* nobis, & tum maxime præcatis, ut & ſemper fidelibus, paraverat? tot ſcilicet erant *Germanorum* ignotorum millia, mari devehenda, & momento turbinis in domos noſtras libertatemque reliquam immittenda! Quod poſt tot exactiões de privato *Lure* adhuc ſupererat, exhauriendum erat ab iſto tam conſummato & conſumante *Clasſis veſtigali*; quo, de jure conſeſſo, jure etiam concedebatur Regem ut periculi ad-

ventantis, ita & pecuniarum cogendarum unicum fuisse æstimatorem. Sed huc usque *Politicorum forsân præcautiones* causam ejus agant; quis autem aperte eam sustineat, dum Juris & Judicum conscientias invaderet? dum artibus demulcere, præmiis pellicere, & minis tandem æqui bonique trutinam vacillare conaretur? Hoc si plenè à singulis Judicum obtinisset, quis negaret eum, & proprium suum & Judicum Juramenta non temerasse? “*Vexationes secretioris consilii, camera stellata, Curia Ecclesiastica, Præfecti rerum Capitalium, pupillarum, obsonationum, salinum, & id genus quanta qualiaque fuerunt? quorum aculei tam altè sensibus nostris infiguntur, ut prætimendum non sit ne è memoriis nostris tam expeditè elabascerent. Vilissima illa servitus Hibernis vi armatâ imperata, unâ cum putrido hoc Axiomate, scilicet Angliâ regem gubernandi regulis non magis quam cingulo constringi* (quod quis ad libitum relaxare & deponere potest) quid aliud nobis præluxerunt, quàm exemplar illius moduli, ad quem Angliâ regimen erat attemperandum? Diuturna Parliamentorum intervalla, unâ cum tristiori proposito de his veteribus utriusque regni Axiomate abolendis, & inceptum de novâ Lyturgiâ in ecclesiam Scoticam tradendâ, prima, eaque Scotica dissidia motusque excitarunt. Angli tubis tympanis & concionibus ciendi, in utramque autem dormitabant; defuit enim causa quæ eos animaret, & quæ adversas manus contra assereret. Quod unum, unâ cum successu planè desperando, Regi de superiori Parlamento convocando *necessitatem imposuit, si & animum non dederit.* Sed ut squalentibus legibus repurgandis convocatum non erat, ita ni in Aula Lenocinia (ex se facerrima) transiret, ni in violatam cum Scotis pacem & pacta (paucos ante menses solemniter signata, & jam cum reliquis regni utriusque bonis aperte cassa,) consentiret; nisi publicam Regi notam fidei temerata minueret, ni tandem *Vectigal illud instruendis classibus, oblato precio redimeret, quod ab illo (sedente jam Parlamento) ex solo & jurato Officio erat abolendum, prævisum satis cuique erat prædictum Parliamentum diu de publico non deliberaturum, nec quidem deliberavit, sed statim in trepidationem omnium diffusum erat. In hoc Angliâ horrore, quo se conversi sunt Scoti? Fidem jamdiu Aulâ, nunc & Rege exultantem, & turbatos nostrorum animos ubique præsentientes, de invadendâ Angliâ diu non deliberant. Rex interim*

terim injustis & solitis Artibus exercitum secundo coegit, conscripsit, & in partes Boreales conduxit. Ubi cum appulisset, quid aliud poterant boni & reliqua regni genuina pectora, quam ipsum obtestari, ut hæc secundâ vice maturius de causâ & effectis consiliorum tam infelicitè conceptorum recogitaret? quo motus, uti & conatibus quorundam Nobilium tum castris agentium, præsertim ex universali utriusque regni aversione charissimum sanguinem ob nihilum mutuo hauriendi (cui fini tot generosa pectora unus Rex congregaverat, quæ conservare illi æquius & Regalius fuerat) & prævidens nullam aliam viam superesse, quâ ex his angustiis elaberetur, & cui se in tutum reciperet, tandem eam Officii partem egit, quâ hoc præsens Parliamentum convocaretur. At Angli licet ab ipso bello, tamen à belli oneribus non tam citò liberabantur: Illis enim incubuit pecunias iis gratificandis parare, a quibus iniqua modo passi erant; & utriusque gentis exercitum suis stipendiis nutrire, quum nutrius conscriptioni consensissent: sine dubio in hoc maxime Christiani quod æquæ & onerosæ Pacis, magis quàm iniqui belli erant studiosi. Sed ne tantæ Regis copiarum nullo patrato scelere solverentur, maximo nisu, & non minori arte Rex molitus est suum Anglorum exercitum contra Angliæ Parliamentum animare: Res certè tam ingloria tantæque inhumanitatis, nimirum Angliæ Regem Anglos provocare ad viscera confratrum, paci omnium studentium laceranda; ut nihil præter peregrinam suam sanguinem illam sartam præstaret. Hoc forsitan pronos satis in fidem non reperisset, nisi res eodem temporis contextu gesta, idem apertissime probasset; & tam apertè, ut ipse Rex nunquam poterat eam aut excusare aut excutere. Inter alia Regni arcana securius illi visum est e longinquo prius tentare, & ex Anglo-Hiberno-Protestantium miseris palpate, quid ipsi Angli domi pati possent. Quot carnificina ex hoc *Trojano* equo prorupere! quot vicena nostrorum millia in illa Hiberniâ, & quam expedite, quantæque cum crudelitati, indole mactata! ita ut rigere viscera Christiana ex sola eorum recensione possint: Parum utcumque hoc esset, nisi ista homicidarum proluvies se ad hæc perpetranda autoritate Regiâ muniri jactitarent. Quod, si id quod clam & in angulis receptissimis insufurratur, per ea quæ in aperto cœlo aguntur, eruatur; certè constat, idque non minus è tardo & leni ejus Edicto, (quo

impacientèr quisque expectabat pessimos homicidas publicos hostes pro merito denunciari) quàm ex interclusis nostrorum subsidiiis, & imperato tum armistitio, cum Protestantibus omnia belli erant auspiciatissima, Regem (inquam) ipsum non usquequaque fuisse ab innoxio illo sanguine purgatum.

Sed uni soli regno non licuit sub ejus regimine esse infelici: ergo in ipsam Angliam revertamur: ubi quod justo exercitu non poterat, quod ut perfidum ipsi milites detestati sunt, id ipse subdolè aggressus est; & stipatus aliquot perditorum centenis, qui gladiis ignariisque armis & nutu ejus præcipuè manebantur, tandem Parliamentum, Pacis & legum officinam intravit; non pro more majorum ferendis legibus, sed quinque Senatoribus tollendis. Super hoc aliaque populus impunè poterat dubitare, se hoc modo gravaminibus suis non exoneratum iri: cujus tam justo metu compunctus, quid mirum si parum extra ordinem exsiluerit? Atreptâ igitur hac occasione Rex abitum *Londino* subitaneum parabat, statimque *Kingstonia* armata manus comparuit, quæ Regem minime violatum, maxime tamen voluit vindicatum. Abindè in Boreales Provincias progressus est militem conscripturus: Utriusque camera Senatores allexit ut à fide publicâ ad privatâ vindictæ partes transirent. Delinquentes autâ ejus recepti adeo non erant puniti, ut eos ibi securos esse jufferit. *Nottingamiæ* Hostile Vexillum explicuit, & collecto apud *Wallos* eorumque confiniis justo exercitu, prima belli civilis vulnera & cicatrices in prælio *Kintonensi* impegit. *Oxonium* vallo & aggeribus firmavit, quod postea principale munimentum futuro bello constituit; atque ita ad regnum perdendum accinctus, per annos aliquot crudele bellum contra populum Aſylo Parliamenti tatum repræsentatumque prosequutus est, quod quidem Antecessorum pessimi nullo unquam discrimine aggressi sunt. Hinc oppida & aedes flammis devota; hinc bona hæreditaria iis addicta, qui priores erant in civili sanguine: servi, fratres, amici, filii promiscuè omnes homicidarum lanienâ perièrè. Et ne tristem belli faciem & horrenda militum suorum vestigia sibi ignota prætenderet, ille ipse inter primos repagula huic sanguinis torrenti disjecit; ille præfens actor & spectator earum calamitarum, quæ gladius, carcer, equuleus & ipsa denique mors probè cordatis ubiq; poterant infligere. Hæc qualiâcunque poterint fuisse, tamen Parliamentum in flammis

grantissimis belli nunquam destitit media pacis (licet cassâ semper & ingrata operâ) Regi habere commendatissima. Hoc ideo ab ipso importunius rogabant, quoniam vel uno verbulo omnino poterat eas flammâ restinxisse, quæ simplici ejus mandato totum regnum perpopulabantur.

Cum Deus exercituum, cujus Justitiæ utraque pars causam suam judicandam apertè devovisset, eò usque Parliamentariam agnovisset, ut Regiæ copiæ nullibi amplius valerent, & Rex ipse intutum sibi æstimaret, reliquiis suis infelicibus diutius se concedere, adhuc tamen non dignatus est sese Anglis dedere, sed Scotis popularibus, sub auspiciis Parlamenti hic tum militantibus. Quo honore ipsis delato aliud non obtinuit, quàm ut ad ipsorum placita privatim ab iis reciperetur & publicè iterum Anglis remitteretur. Scotorum tamen custodiis coercitus, de còmuni ejus & regnorum libertate iterum fuit deliberatum, decretumque utriusque regni articulis, mutuo conventis, pacem denuò poscendam esse ab eo, qui resistentem ubique fortunam expertus bellum amplius non gereret. Isti articuli tanto justiores æstimandi, quod successuum flatibus non tamescerent. Sed novæ machinationes, quas instaurando bello iterum in sinu suo agitaverat, ista Pacis conamina ilicò frustabant. Ergo cum esset tam obfirmato animo, ut nec piorum continuæ preces, nec Parlamenti repetita rogamina, nec trium regnorum spoliata cadavera ipsum poterant exorare & emollire, tandem suffragiis Parlamenti cautum est, ne ullâ in posterum recognitione rogaretur aut adiretur. Utcunque tamen quæ superiori ætate gesta sunt, satis ad liquidum probarunt, eum privatis parietibus non prius clausum, quàm proposita sua de novo bello late spargendo maturasset. Alia ergo regni vena Regis nomine percussa; conjuratio inita quæ (ne mitioribus, quàm insultantium ipsorum, verbis prædicetur) non erat nisi ab ipsis inferis eruenda; Parlamenti exercitus per partes & quasi frustulatim erat occupatus, prout novæ illæ flammæ diversis simul & remotissimis Regni angulis eruperant: Et quasi Anglia ipsa deficeret, sive hostium malignantium numero, sive acri satis erga concives furorè; ergò Scotorum perditissimi vocati animatique, qui ad tam lautam prædam discerpendam, quovis tacito nutu satis accinctos se probant. Sed quia privata incepta Deum primum hostem habent, & religionis vincula pudorem iis suffundunt

dant, qui in apertâ luce apertè impia acturi sunt; Hinc visum est Scotis *Pactum Nationale*, Anglis juratum, esse aliquatenus macerandum, sensumque verbis & scopo diversum, ad tempus esse mutuandum. Scoti igitur soli ista media tam Apodictica norunt, quibus illi, qui in primo bello per *Pactum illud Nationale*, tanquam per sacramentum militare astrictos se intellexerant, Pacti præfati scopum, non nisi conjunctis cum Parlamento viribus, & excisâ parte Regiâ attinere, nunc intelligerent, se apertè contraria in eundem scopum posse moliri, excisis scilicet Parliamentariis confociatis, & aquilis cum Rege conjunctis.

Licet misellis homuncionibus contingit larvis aliquandò territariis tamen Deus ipse non est ludendus; quapropter recentium calamitatum nubecula quamvis hic, in septentrione, & undequaque aliàs conglobarent, ruinamque huic regno perpluituram promitterent, Parliamentum tamen jam secundo æquitatem causæ suæ Deo adjudicandam devovit, quam ille undiq; impugnatam ad Miraculi stuporem ubique sustinuit, exercitum (per plura probatum) tanquam instrumentum suum, tanto cum ardore, prudentiâ et fide conduxit, ut arma inimicorû manibus (prout fides olim mentibus) præ gestorum horrore nunc denuò elaberentur, & quicquid nobis publicè privatimque carum curæve esset, integrum conservaretur.

Rebus sic iterum commistis & restititis; (sed quibus modis latius alibi declaratur) studio & insinuatione partis suæ Rex octavum erat supplicandus; Parliamenti suffragia in contrarium lata, erant revocanda, tandemque Commissarii insulam Vectis deputantur, qui tractatis negotia, hætenus infelicia, retentarent & peragerent. Rex interim pro solito, & dum de pace alii simpliciter cogitarent, secum evolvebat quibus modis faces civiles iterum extinctas, aut saltem debilitèr undulantes, tertium accenderet. In hunc finem filii duo Seniores hostilibus exercendis emittebantur, muniti insuper alios mandatis & diplomatibus instruere, quibus reliquum innocui sanguinis depromerent, & cui sistendo pater ex officio potius debuisset mederi.

Quapropter ex his & pluribus aliis non æquandis noxis, ex juramentis, fide, & asseverationibus temeratis, ex tractatibus pacis octiès lufis, ex tantâ copiâ sanguinis hic & in Hiberniâ sparsi, subargutumque adhuc aliquid clamitantis, ex non minori lacrimarum copiâ, guttante adhuc ex oculis viduarum, parentibus orborum

borum, & millenorum funditus desolatorum, Iudicent ubique animis æqui, si Parlamento causa defuerat Regem illum in iudicio reum agendi, litem illi æquam & liberam intentandi, tandemque integrum ex bono & æquo definiendi.

Sed ita infelix semper est ex unâ parte ipsa iustitia, ut is, quorum interest calculo ejus attriori non prægravari, raro cum causâ animos unâ suos ei submittant; Omnia implicant, omnia convolvunt ut ferreis ejus manibus deprensi effluant. Hinc a Regiis & ab ipso Rege constantè deprædicatum, eos qui in pari secum fastigio collocantur, non esse excutiendos, aut ad rationes, nisi à solo Deo (cui injuncti & sacrati sunt) conclamandos. Quod si verum est, tum ei consonare debeat, omnes & singulos regni subditos nasci ad unius hominis gratiam, luxuriam, & arbitrium explendum; bonum publicum, sacrumque illud semper esse, quod unius Tyrannidi sine conscientia litatur; sufficere uni Regi inditum esse à Naturâ arbitrium & voluntatem, & reliquos locomotivâ simpliciter facultate animari.

Ubi radius divinus non spargitur, ibi certè, vel nictando possumus tenebras simulare: Difficile autem est contra tam apertam rationem & apertam æquâ scripturam ejusmodi iniqua Deo ingratis obtrudere; qui de injustitiâ obtruncandâ, nunquam de eâ fovendâ præcepta sancivit. Novimus eum in rege expetendo valdè fuisse contra *Israelitas* commotum; jam autem quis idem dicat quod Regem citius non expetissent? Præsertim talem qui jura & rempublicam sibi, non se reipublicæ natum præsumpto jure jactitaret? Sed hoc dogma (*Dius gratus*) præsentis ævo melius, quàm præterito suboletur; nihilq; aliud ad ejus infirmationem requiritur, quàm illud simpliciter & in terminis tantùm nominasse. Si de (injuncti) vocabulo lis sit; quisnam est qui Theologorum Scholas vel minimè salutaverit, qui id æquè *Angliæ*, ac *Judeorum Israelitarumq;* Regibus consonare dicat? aut adhuc Regi cuilibet magis quàm alii Magistratui servove Dei? aut verba hæc (*Unctos meos non tangas*) de Regibus magis passivè dicta, quàm Regibus activè imperata? Reges enim redarguebantur, & etiam iis præcipiebatur Prophetas & Sanctos (*Dei unctos*) nullo modo temerare.

Hic iterum insurgunt, clamantque Regem sic ad capitale supplicium detrusum, nullo exemplo comprobari. Verum isti ardelliones quantum ad ipsos Regis sui navos cæcutiunt! non animad-

vertentes crimina etiam ejus nequiquam esse parificanda. Si absque speciali lege prælatâ, nihil pro æquo Deove accepto habendum, videant qui ita sentiunt, quid de *Benjaminitarum* peccatâ super violatâ concubinâ constituent: ad quam vindicandam *Israelita* piè & solenniter, sed absque prævio mandato, conjurarunt. Si ad exempla recurrendum esset, inveniemus ex Antecessoribus ejus aliquos, qui comitorum suffragiis, sceptris & regnandi officio exuebantur; imò in tenebris, recessu, & angulis abditissimis sædissimè postea percutiebantur. Hodiernum Parliamentum & sibi & Regi, honori & justitiæ convenientius judicaverunt, ingenuam & apertam litem ipsi constituere, assidentibus in foro publico plulquam centum Generosis, coram quos Rex liberè (si ipsi visum fuisset) causam suam orasset, nullum alium inimicum, præter legem in medio positam, ibi habiturus. Postulatum crimen ut omnes intelligant, sciant id ea tantum parte constituisse, cujus jamdudum reus per conjuncta Parliamentorum *Anglia & Scotia* suffragia peragebatur.

Quod omnibus criminibus pessimum tenet consortium, id ei ad extremum erat conjunctissimum, Animi scilicet obduratio, & implacabilis æstus, studium perpetuum exhauriendi populum; quæ una cum infallibili illo præcepto, (à quo ne Regum ipsorum sit exceptio), *Nullam compensationem venire, ubi de vita homicidæ agitur, gladio autem esse percutiendum; Insuper, Terram non purgari a Sanguine super eam fuso, nisi sanguine fundentis, Regi jus dixere, & sententiam juris in eum latam consummârunt.*

Mortuo Rege, proxima erat de fobole deliberatio. Sed ex illis ramis mitiores fructus non erant expectandi, quam quos ipse Pater effuderat. Filii duo seniores prima sua principia à sanguine hauriebant; & Patre suum solvente, actu reperti sunt civili cruore purpurati. Quod ergo frustra à Patre, id à filiis sic nutritis & patrizantibus non erat sperandum; & rebus sic nutantibus nullo consilio humano aut tuta pax ab iis speranda, aut refluxus præteriti æstus erat avertendus. Quapropter miseriarum revolutiones decumanæ nullo præsentiori medio erant præscindendæ, quam earum personarum successionem abolendo, è quâ infelicia illa olim majoribus nostris repullularunt, & è quibus certò iterum nobis repullularent, si à Regum ambitiosorum

rum nutibus, famosis adulatoribus, & venalibus consiliariis, summa regni, salus populi, religio animarum, divina omnia & humana iterum penderent.

Pium hic est minorum causam agere, modo propter personas jus ipsum non violetur. Inficias ergo non itur, eos regno non esse amovendos, qui titulo pleno & directo muniuntur; modo cætera (quæ vera sunt) non reticeantur, populum scilicet primum esse in jure, filiumque vicem patris sustinentem, id sibi arrogare non posse, quod Patri jure merito exciderit. Hoc jus ut in aliis bonis obtinet, ita in officiis hæredetariis. Bona fides est conditio sive tacita, sive expressa, quæ sese omni officio insinuat & perterritur; & quia fides semel lapsa officii ponderi sustinendo amplius par non est; quis neget officarii filium (Patri sic ascriptum) conditioni ejus non fieri accessorium? Hic utcumque de simplici Patris exturbatione non agitur; Filii seniores bello contra Parliamentum aperto vitiantur; & de junioribus dici non potest, eos posse quidvis Natalium jure hic vindicare. Populus eadem nativâ potestate quâ Regibus tribunalia prius extruxerat, & Regem Ministrum Publicum, publici boni causa adoptaverat, sentiens hæc omnia occultis dolis & apertis periculis in hiscentem regni ruinam prægravantia; in suo sine arbitrioque nunc positum habet, usque quò ejusmodi Ministro, Officiis titulisque gaudere placuerit, aut utrum in aliud regimen accommodatius, statumve liberum divertere voluerit.

Ad hoc ultimum maxime animatur Parliamentum, mente repetens quàm copiosâ benedictionum messe Deus aliis statibus liberis auspiciatus est. Romani post exactos Reges fortunam ubique latiore experti sunt; Respublica Veneta jam per mille tercentum annos Prosperitate & Ordine Romano enituit; Populus *Helvetus & Unitarum Provinciæ*, post statum in meliorem imaginem transfusum, omnes *Europa* Regios divitiis libertate, pace & viribus superârunt. In Respublicæ statu Parliamentum advertit justitiæ trutinam minus fluxam & dubiam; potentiores in opibus, tenuiores non tam facile & tam impune opprimere; miseris & infelicibus melius ibi provideri; Civilis discordiæ semina, ex privatâ ambitione successuumque litibus pullulantia (quibus & hoc regnum olim satis superque concussum) ibi dextere averuncari; & æquorem conscientiarum, personarum

& facultatum immunitatem latius sibi omnes gaudere. Uti hæc privatos emancipatorum sinus demulcent, ita suspiria eorum *Monarchicorum* gratiâ solvunt, quibus contigit perpetuâ injustitiâ & servitute elanguescere. Quàm ingratum est cogitare modò, inter eos Magnatum aliquos vix tam lauta dimensa servis, colonis, et mancipibus, quàm equis et canibus nutriendis dispertire, & minorem iis sine dubio respirandi & reficiendi copiam indulgere. Licet in alienis, præsertim malis, nimia curiositas *Parliamento* volupe non sit, ei tamen excidere non potest, se jamdiu à defuncti Regis Consiliario monitum, Caveret scilicet populus ne Comitiorum intermissione ad talem *Monarchiæ* statum delaberetur, qualis est illa, ubi alia populo felicitas non superest, quàm subligaculis è vilissimâ canabi confutis, & calceis ligneis (tanquàm cippis ambulatoribus) incedere, spectrorumque magis quam hominum speciem referre. Hæc felicia Anglis erant reservata, si illorum Monarcha fortunam votis obsequentem exorasset. Conquerendum tamen non esset sorte humiles tantorum pedibus proteri, nisi & quadrupedibus ipsorum conculcandi exponerentur. Quid enim usitatus, quàm Magnatum pecora & jumenta pauperum panem præmordere, & esse in spem messis pastum immissa? Miser interim colonus, cum miseriori uxoris & infantum catervâ, statim futuri sunt miserrimi, ni silentium linguis & famem intestinis, domi noverint, submissitantes conciliare. Mercator mercibus, creditor pecuniis illos instruentes, solutionis loco pessimis opprobriis excipiuntur, si non ideo quod debitum liquidare tanti domini non recusent, tamen ut constet Magnates & Regis ministros à lictorum manibus & legum litibus sacros & immunes esse. Hæc tam protervâ injustitiâ, & facili effusâ que debitorum luxuriâ, integræ familiæ tanto deploratius extinctæ, quod mali, subsidio legum muniti, ædes ex fundamentis impune evertant.

Sed hæc omnia rerum tantum, non personarum servitutum Regi debitam probârunt: Ut autem sub auspiciis istius regiminis miserè nati se miseres indies futuros intelligant, non abs re erit commemorare quàm indignis modis minutissima nostra plebs in duram ejus servitutum non irent, sed cogerentur. Naviculariis, cum naviculis & actuariis, rusticis, cum plaustris promptè a suis & aliorum negotiis erat divertendum, ubi semel ad

ad Regis negotia conclamabantur ; cui servire iniquum adeo non fuisset, si Rex ipse mercedem non æstimasset, adhuc minus, si prout ab ipso æstimabatur, soluta fuisset ; et tandem minimè, si tristis domi familia aliter, quam ex sudore viri, durum panem vel duritèr obtinuisset. De unicâ illâ aula vexatione, *obsonatione* scilicet, quâ populus de culinâ et mensâ Regiâ providere debuerat, et de quâ Majores nostri tot & tam severas leges condiderant (quæ tamen in nullas postea abiire) constat eam (idque ex nuperâ unius anni supputatione) censum hodiernum de exercitu alendo excessisse.

Hæ leves tantùm et supremæ delibationes sunt gravaminum maximè celebriorum, & omnium sensibus pridem inscriptorum. Sed, si ad calculum revocandæ essent rationes sumptuum magis dapsilium quos aula Anglicana prodegit, quanta intelligeret unufquisque ea fuisse quæ hic non recensentur ? Quot erant faciè potiori regni melle ibi pascendi ? Quot mensæ opiparis conviviis ibi prægravandæ, farciendis tantùm intestinis regni cæcissimis ? Infamia abdomina ! fibimet unâ & terræ importuni ponderis. Choriæ & Theatrica alia (diei dominici exercitia, si non apparatus) una cum aliis æquè lautis, si non æquè vanis festivitatis & lubentibus, millena aliquot jugera, vicena milliaria, portionesque Provincia-rum, in diffusissimis saltibus ferarumque lustris & vivariis infumebant ; quæ omnia in honestiores proborum hominum usus laudabilius poterant elocari. Expensæ quæ hucusque enumerantur, erant aut insensuum condimenta aut ornamenta ; sed aperta *Tyrannis* unicè annuas donationes, pensiones, & fallaria illa profunde-bat ; quæ iis tantùm erant indulta, qui Tyrannidis affectæ pessima poterant promereri, aut illis qui Regi erant si non patriæ, saltem personæ nomine acceptiores. Certum enim est è publicis *Fiscis* ratiunculis, fidentioribus Scotorum cõterraneorum, plus quam ducenta millia aureorum, annuatim fuisse numerata ; ultra id quod è loculis secretioribus aliisque iisdem secretò, plenis manibus, & continuis missilibus spargebatur, quâ forsan ratione factum est tam impigrè eos nunc studere Regiam in *Angliâ* potestatem quomodocunq; & ad ultimum tueri.

Sed qui semel noverit tot millia aureorum communibus annis sic fuisse profusa, & legitimam coronæ redditum summam quadringenorum milliam non implere (ultra modesta

quædam mercium Vestigalia in classe munimentisque ilico iterum refundenda) merito nobiscum admiratione defigetur, quibus, subterraneis venulis ista vanitatis, luxuriæ, maleficiique confluvia alerentur ; nisi quod omnibus æquè est notorium, monopolia, officiorum auctiones, largitiones, pactas a legibus pænalibus immunitates, aliaque hujusmodi populo pravâ indole eliquata, meliori postea non potuisse decocta iri. His gradibus aula in perditissima excurrens, quid aliud poterat esse, quam infelix luxûs et intemperantiæ seminarium, quam fruticetum, adulterans surculos regni generosiores ? Probi mores & mens religionis conscientia perculsa, tantæ ibi erant subsannationi, ut, si alias unquam, certè de nostrâ rectissimè prædicetur

— *Exeat aula*

Qui vult esse pius.

Sed uti non sufficit hæc enormia statui Regio et veteri ascriptisse & improperasse, sine aliquâ spe ea in statu novo et libero emendandi ; ergo sub Divini numinis auspiciis Parliamentum non despondet animi infelicibus illis in posterum omnem reditum occludere. Situs, & insulæ hujus indoles, cum reliquis prærogativis quibus à naturâ tum ad peregrina mercimonia, tum ad artes domesticas, lautè dotatur, melius ab unoquoque perspiciuntur, profligatis nimirum Monopoliorum, aliorumque gravaminum irretientium insidiis, una cum istâ Aulâ, in quâ tanquam in Magisteriali sua officinâ cudebantur. Commercio undique libero, artificum industriæ, pauperum subventioni in reipublicâ statu (cui hæc consonantiora sunt) melius providetur, & de quibus in Regio non vacavit ad minimum deliberare.

Super præfatis his, & aliis non minoris ponderis rationibus, Representatores populi, Comitibus Parliamentariis conventi, censuerunt, statum regni Monarchicum (in quem per plures usurpationes & proterminationes Reges involaverant) tandem aliquando deberi (quod felix faustumque sit) in liberam rempublicam commutari ; & cassâ ab hoc die in futurum esse sceptrâ, curules, fasces, diademata, titulos, & quæcunque alia regalia *Angliæ*, quæ protervam & longam Regum Tyrannidem insigniverunt, aut iis minimam adhuc monumentum poterint superesse.

Cum tam gravis necessitas non habeat Regem nequidius super Tyrannidi affine populi Libertati emineat, aut recen-

tem rempublicam in basi cogat vacillare, ergo prædicta Comititia, edocta quàm sit periculi plenum regni Proceres, brevi tantum Regis consultum vocatos, cameram se junctam constituere, & in legibus ferendis, suffragium Populo (quem nullo modo referunt) opponere, & et de personis fortunisque eorum omnium pronuntiare (quorum Judices non agnoscentur) & considerantes ultra, omne Procerum dictorum jus potestatemque Regi fuisse accessorium, (a cujus interminatâ potestate omnino pendebant, et quam non ita pridem avidè nimis præcolebant) denique cum sit evidentissimum (præsertim ex nuperis angustiis) Statum reipublicæ salutemque Populi pati non posse comperendinationes, aut suffragia alterius Cameræ negativa, ergo a præfatis Comititiis scitum decretumque est Cameram etiam illam Procerum, reliquumque super populo prætersum jus in futurum esse abolita.

Sed ne hoc quod summo jure sic sancitum est, minimam injuriam sibi conjunctam habeat, et ut omnes de republicâ benè meriti publicis Privilegiis ornentur, Igitur cautum est, eos Proceres qui tot annorum probationibus inconcussi permanere, fidemque intemeratam cum aliis probis tuiti sunt, posse et debere Privilegiis ex æquo cum aliis gaudere, sive ut alios in Comititia eligant, sive ut ipsi ab aliis ad suffragandi jus eligantur. Atque hoc forsitan aliter non obtinuit, cum pro veteri Majorum more Proceres & Populus unâ eademque coronâ & camerâ olim considerent.

Sed hic statim inclamantium vocibus excipitur Parliamentum, nova scilicet hæc & ancipitia non consonare conjunctâ utriusque cameræ Declarationi Mense Aprilis anno 1646. In quâ Parliamentum duo profitebatur, nimirum regimen (ut prius) conjunctis officiis Regis, *Parium, & Communiū*, se velle retinere, & Regem felici & Augusto fastigio nobilitare.

Quicquid virium huic Argumento videtur inesse, facile poterit, ipsum in se elidendo, luxari. Parliamentum enim profitetur se illa ingenuè et bonâ fide tum concepisse, sed ita, ut in actu isto promissorio (qui conditionem tacitam vel expressam sibi semper cognatam et inseparabilem habet) hoc unum fidentè supponeret speraretque, Regem scilicet pravis tum Consiliariis orbatum, cæterisque cæcis insuffratoribus valere jussis, & relictum sibi unum opportunum, voluisse se ipsum infregisse, ut æquis necessariisque votis Populi, Comititiis conventi, formatiorem se accommodaret;

Et Proceres Parlamento reliquos, voluisse in idem conspirasse, ipsumque Regem in tam publico bono & voto animasse. Sed cum Parliamentum omnia his in extremo contraria reperisset, & post rogationes tractatusque septem frustratos præfatum Regem viventem & morientem uni suæ Tyrannidi asserenda fuisse obfirmatum, (ita ut in extremis nihil admitteret Parliamenti calculo sibi commendatum,) Et Proceres etiam ipsos ex interesse *juris Paritatis*, Tyrannidis laciniis fuisse quodammodo consutos, eo usq; ut jus usurparent in jure neque respondendi, neque æs alienum solvendi, (sed ipsos fuisse hæreditarium Tribunal de populi libertate et jure pronuntiandi) quid minus tandem poterat populus, Comitibus Parliamentariis conventus, quam revocare & mutare quæ prius bonâ spe, piis intentionibus, & futuris conditionibus decreverant? Mutationem hanc, bono & Zelo publico factam, nullus utcumque è Populo eam sibi adversam sentiat; quod Regem & Proceres spectat, si nunquam ad ejus commoda & Privilegia provocarent, utpote quæ eorum suffragiis & assensu nunquam erant comprobata; & nullius contractûs nulla est violatio. Pactum mutuâ constat supulatione, & ubi quid (ut ajunt) pro quo mutuô conferatur & accipitur; sed hoc in Parliamenti causâ defuit, imo altera pars aperte ab eo resiliit; Ita ut pacto tandem non accepto, conditionibus (quas apud se Parliamentum conceperat) non impletis, tot interim tantisque rationibus pro muniendâ populi libertate militantibus, quis poterit jure obstrepere, quo minus mutatio in melius non fieret, & Tyrannis, quicquidque ei charum fuit & vicinum, exularet?

In hoc tam ingenuo scirpo qui nodos ulterius rimantur, conqueruntur, Dato, bona hæc esse omnia, benè tamen ea non fieri; Summa hæc debuisset non nisi copioso Senatu agitari; non cum alii Senatorum vi armatâ deturbarentur, alii Privilegiis suis spoliarentur, & reliqui precarios tantum calculos urnis injicerent, admoniti, non tam ratione, quam gladiis & globulis ad quam auram publica sua cribrarent et ventilarent.

Pulchra sanè hæc, sed Gordianâ desperatione neminem torquent, imò hi aculei in se statim replicabuntur. Datum concessumque est quodlibet Parliamentum pro bonis moribus, ex bono & æquo, spectatæque quantum poterit, publica sua debere sancire. Pauca utcumque memorantur Comitibus quibus non aliqua aliquandò vis imminuerit. Plurimis, aut Tyrannorum arbitria, aut varia parti-

um studia, aut dubia de jure ad Coronam dissidia, fuerè hæctenus importuna; ita ut rectè dicatur suffragia quandoque non adeo numeranda esse ac ponderanda.

Leges tamen à talibus lætæ, erant pro genuinis semper habitæ; è tabulis non erant radendæ; imò sequentibus ævis & nostro plurimum profuere. Ita ut gratiæ habendæ sint invidiæ maximæ, quod tam incautè innocentiam postulet, ut seipsam unâ conficiat: Rectâ enim non tam in præsentia, quàm in præterita tempora probatasque leges insurgit, si ob prædictam rationem frustra essent ea omnia quæ in præsentibus Comitibus acta lætaque sunt, ex quo aliqui ab eo defecerint, vel supremus Rex hostilia denuntiaverit, aut alii alia minùs ex regulâ commiserint. Siqua aliquibus privilegia minuuntur, id non protinus parti relictæ imputandum, quasi in illorum manibus positum fuisset id aut amovere aut resarcire; multo minùs dicendum est Assidentes hodiernos jam personarum aut suffragiorum suorum directos dominos non esse, aut eum numerum non complere, qui pro more Parliamenti ad gravissima regni definienda requiritur. Illa armata militum manus quæ jam cinguntur, si mali conscis sint terrori, certè assidentibus vim non faciunt, nec suffragia præsentia corrumpunt; sed ex proprio Parliamenti consulto vocantur tanquam amici publici iis grato præsidio firmandis, qui propè hostes certos & inter amicos dubios hæctenus versati, sentire citius non poterant quàm sit res, aliis utilis, & sibi alacris, munita prudentia. Mirum utcumque non est inimicos olim apertos, nunc se in clancularios torquere, qui cum armatam operam perdendi Parliamentum jamdiu lusam norunt, nunc eorum actiones in optimis deturpant. Cum autem proposita erat quæstio de personalibus Parlamentariorum privilegiis, & de solidâ regni salute utrum bilancem deberet rapere; Parliamenti residuis sanius visum est, Privilegiorum circumstantias (levioribus olim causis perstrictas) alteri potius jubere cedere, quàm ex pervicaci ob alios petulantiam fidem & Officium publicam destituere, aut in mediâ tempestate scissam undique & fluctuantem rempublicam confusionum undis hauriendam permittere.

Tandem ad ultimum gradum, maximèque dubium cui impingatur, descenditur; Curias scilicet distribuendæ justitiæ constitutas, avitas & bonas leges (unâ cum consuetudinibus *Angliæ* (notis pignoribus & vestigiis libertatis nostræ, longèque ante trophæa Normànica natis) & reliqua omnia quæ Patres nostri pertulis undi-

que venis in *Chartâ Magnâ* nobis consignârunt, & singulis sive regnantium sive regiminis vicibus quasi impassibilia permansere (quibusque ex æquo distributis nulla lætior est toto mundo membrana) nobis & Posteris cum statu Regio omnia iri deperdita.

Huic, quicquid poterit esse Argumento, Parliamentum judicet abundè superque in nuperâ Declaratione satisfactum, tum etiam ex instanti suo studio, quo consultum est, *Fora Westmonasteriensia* statis terminis, periclitando juri esse aperienda, Judices debere itinerationes suas per Provincias solitis justitiis, & ad lites extinguendas expedire; & tribunalia ubique fidis & doctis legum Oraculis ornare; Ita ut cuilibet constet in communibus regni legibus earumque ministracione nihil insolens esse aut novitè a Parlamento excusum. Nam cum aliis regni civibus de æquitate legum rectè dispensatarum idem sentiunt, tum quoad perveta ipsarum natalia (ante servitutem Normannicam) tum quoad earum virtutem, quâ, tanquam facto quodam amuleto personarum libertas, bonorum proprietas, & in utrisque pax subditorum integra sospitantur. Sed super omnia & superpondii loco accedit, eas præfenti reipublicæ mutationi ubique posse concinnari & conciliari, si non veteri formulâ, saltem perpetua substantiâ. Quid enim aliud egit in jure otiosum Regis nomen, quàm emaciatas formulas externis illustrare? Interiora nunquam sustentavit: Utpote quòd in minutissimis, & de cassis (quod ajunt) nucibus ipse personalitèr & juridicè pronuntiare non poterat.

Sed ne quis putet eo obtentu excisam fuisse Regum Tyrannidem (patulè undique legum nitore & bonorum proventui tristem umbram facientem) ut in idem ilicò culmen Parliamentum assurgeret: ergo hæc apertè testantur & agnoscunt, se potestate diversâ ab illâ non vestiri, quæ legibus populi suffragio latis & comprobatis pertextitur; seque non tam de privatis suis (nec adeo diis gratias tenuibus) fortunis, quàm de interesse omnium communi, esse sollicitos & implicatos: quæ quidem omnia intelligunt non nisi notis ubique legibus, et æquo regni regimine posse tutari: Quod si semel aut ablata aut seposita fuerint illæ justitiæ regulæ, prævident ilicò industriam languescere, sanguinis, confusionum, & calamitatum agmina instare, & tristiora denique, quàm quæ sub ultimo Rege passi sumus, certis nos exitii vorticibus esse raptura.

Hæc argumenta in cumulum sufficiunt, ad hoc præcipuum à ratione sanandis obtinendum, scilicet consultissimum nunc illis esse

esse
legit
apud
sed
nem
dici
exp
sum
Popu
priv
de eo
quam
turus
fito
boni,
M I S
est ar
rent p
imple
ut pi
confi
public
homic
fortuni
per ille
cum P
giose fe
libi su
reddend
mia prop
ex æquâ
bolitâ in
almenra
lica nomi
gatis ubiq
cis & just
Cum ex
menti prop

esse placidè vitas & fortunas justis his, & longâ familiaritate notis legibus submittere; & nullo modo credere Parliamentum tacitè apud se statuisse dictas leges aut pervertendas esse aut resigendas, sed illud potiùs in hoc unum niti, ut ad præsentem Statûs mutationem socio nexu aptentur & componantur; quæque ex ipsorum iudicio sunt superstruenda, talia esse, quæ mutati statûs faciè possint expolire; ambitus, comperendinationes, largitiones, itinera & sumptus non necessarios in jure experiundo, & quicquid aliud aut Populo aut legibus poterit esse onerosum, ablegare. Utque cum privatis suis conscientiis totum terrarum orbem testem habeant, de eo nimirum quod in hoc mutato statu stabilire meditantur, & quam lautè Tyrannidis abolitionem quisque sibi pensatam habiturus sit, Visum est Parlamento hanc suam consiliorum & propositorum summam publicè censendam exponere, ut ex eâ videant boni, nihil illorum votis intimius esse, **QUAM CAVERE IMPRIMIS** ne iterum in arenam civilem descendatur, ne reliquum quod est ærarii & sanguinis prodigetur, ut in molli pacis sinu altum flarent præteritæ inimicitia, ita ut eorum vestigia amore & amnestiâ impleantur; ut cultus Divinus, isque Reformatus corroboretur, ut piis Ministris lautè & statis modis subveniatur; ut personæ, conscientia & bona omnium (quatenus per gloriam Dei & pacem publicam fieri possit) libertate donentur; ut Hibernorum infames homicidæ suis modis prosequantur, Protestantès indè depulsi, suis fortunis, & Respub. Anglicana suo juri restituantur; utque super illo bello contrahentes sospitentur; ut fœdera tractatusque cum Principibus & Statibus transmarinis ineanant, & inita religiose foveantur; ut domi artes floreat, & personæ miserae nullibi sit miseris frangenda relinquantur; ut in Justitiâ debitè reddendâ malis metus religioque incutiantur, bonis virtutis præmia proponantur; ut fisci & ærarium onera publica sustentent; ex aquâ stipe definitâ miles sumptus proprios faciat & solvat, abolitâ in posterum vagâ illâ licentiâ alienis laribus fortunisque in alimenta involandi; denique ut populus gravaminibus, & respublica nominibus atque alieno diuitiis non prægraventur, sed purgatis ubique Tyrannidis quisquiliis & reliquiis, in eorum loco pacis & justitiæ flores spargantur.

Cum ex hac tabulâ omnium censuris expositâ constat Parlamento proposita diutiùs nec ancipitiâ nec iniqua esse, ergo fidentiores

riores divina auxilia (de quibus in difficillimis non desperabant) super imbecillibus ipsorum conatibus obstabuntur. Et sicut rebus suis periclitantibus olim intenti adeo fuerint, ut in alienas neque ex invidia, neque ex ingrato ardelionum studio se ingesserint, ita de futuro æquè spondent, se non transversim in vicina actos iri; semper abhorrentes à rebus quorumcunque regnorum aut Statuum miscendis; & paratos esse, potius quàm exteros lacefcere, eorum amicitias (si istis placuerit) ambire.

Propriis ergo negotiis & vexatæ reipub. componendæ unice incumbent, & in tam sinuosâ operâ satis ipsis erit sentire rempublicam lætam reconvalescentemque, & fidem populo representato præstitam. Sed cum ipsi adeo in alienis sint incurii, ita parem ab exteris candorem sibi debitum vendicabunt; sperantes eos (de quorum interesse hic non agitur) nihil in nostris velle definire, aut peregrinam falcem in messem non suam temerè immittere. Cæterùm, siquid his votis alienum rependatur, profitentur (idque sine impotenti venditatione) se non dubitare eundem Deum eandem causam (quam miraculorum coronis hætenus insignivit) asserturum; nec sentire se domi adeo lassos, quin satis virium ipsis superfit ad se suaque sub iisdem auspiciis virilitèr tutandum; & ad eos, quos commodos habere non poterint, si incommoda cœperint experiri, propulsandum.

Quod istos spectat qui natalium jure huic regno ascripti sunt, id ab iis Parliamentum expetit, quod cordatorum ubique & benè animatorum est, debere scilicet se, non tantum ab insanis & cæcis turbandi consiliis, & à flammis, benè sopitis, revocandis desistere (cujus incendii ipsi aliud non erunt quàm infelix pars & spectaculum) sed potius fundandæ paci & reipublicæ alacrem unâ conferre operam; idque adeo, ut conturbata diù jura omnia divina & humana firmis aliquandò columnis sustententur; quo unice fiat,
Ut Deo suus honor, Protestantibus Religio-
nis nitor, populo & posteris hujus regni Pax,
suis vestita fructibus (libertate scilicet & justitia) ex integro restituantur.